nibus sumus & frigidi, nec in aliquod opus bonum parati, ob hoc neque conpunc
tionem cordis umquam merebimur accipere, neque colligere intra nos met
ipsos animę nostrę sensus & humilitatem eius fragilitatem que perspicere, neq;
peccata nostra habere ante oculos, & e contra diuina considerare beneficia,
hinc est quod neque ad illos qui tam praecipuam & destrictam ducunt uitam respicimus,
neq; ad studium boni operis incitamur, sed ne hoc quidem quod frequenter uide
mur nosmet ipsos peccatores pronuntiare, cum ueritate & affectu animi loqui
mur, denique ex ore arguimur, quia si ab alio haec audiamus quae ipsi de nobis pro
nuntiare uidemur, statim indignamur & irascimur, & iniuriam nos passos esse
conquerimus, sic ficta in nobis & simulata sunt omnia, ut ne illum quidem publi
canum possimus imitari, qui cum peccata sua audiret sibi ab alio exprobrari,
non solum patienter tulit, sed & addidit confessionem suam; & hinc est unde
discessit ille iustificatus magis quam fariseus qui exprobrauerat, nos uero neq;
exomologisis ipsa & confessio quid sit nouimus, cum mille malis repleti simus, sed
oportebat nos non solum scire & confiteri quia multa in nobis delicta sunt, uerũ
& unum quodq; peccatum & maius & minus quasi in libro ita in corde nostro habe
re descriptum, idque frequentius recensere adque ante oculos ponere, & tamquã
nuper haec admisisse lugere, ita enim & animi adrogantiam frangeremus, frequen
tius eam de malis suis & uitiis commonentes, & cautela nobis ne ultra in eadem delicta
incideremus acrior nasceretur, tantum & enim boni confert meminisse frequen
tius hominem peccati sui, ut & iam paulũ uideamus apostolũ ea quae abolita iam fuerant
& deleta adducere & tamen in medium, & cum culpam de praesentib; non habet,
quam recordationem peccatorum & luctum gemitum quam sciebat animę prodesse,
& iam illa commemorat quae per ignorantiã commissa, gratia baptismi & confessio fi
de aboleuerat, sic denique dicit, quia xps ihs uenit in hunc mundum peccatores
saluos facere, quorum primus ego sum, & iterum & fidelem me existimauit ponens
in ministeriũ qui prius fui blasphemus & persecutor & iniuriosus, supramodum
persequens ecclesiam di & expugnabam eã & qui non sum dignus uocari apostolus,
& enim licet reatu absoluamur pro peccatis priorib; tamen si adducantur ante
oculos sufficienter incutere possunt animę uerecundiã & prouocare eam ad amo
rem eius qui tam multa concessit, nam & simon cum interrogatus a dno quis ex illis
duobus debitoribus quib; fenerator relaxauerat debitum, plus eum diligere
respondisset ille cui amplius remisit, audiuit a dno, recte respondisti
oportet ergo recordari nos priora delicta & iam ea pro quib; ueniam con
secuti sumus, ut intuentes quam ingentem modum debita remisit nobis ds &

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0346